

EPISTULA LEONINA XXXI

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLA OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM PRIMAM !

ARGUMENTA

PARACELSI SENTENTIOLA – MYTHI GRAECORUM (XVII): Phineus et harpyae – DUO VIRI CORYPHAEI ANTIQUITATIS INVESTIGANDAE (II): WILAMOWITZ. “QUI MAXIME ME EFFECERINT QUI SUM”:Udalricus a Wilamowitz -Moellendorf de sui eruditoribus quae scripserit Latinê. – VOCABULA COQUINARIA (III).

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LINGUAM LATINAM AMANTIBUS
SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

CARA LECTRIX, CARE LECTOR,

Hac in Epistulâ Leoninâ post sententiolam Paracelsi invenies novum periculum Argonautarum, qui Phineum miserrimum visitantes vident Harpyas aves illas taeterrimas. Deinde sequitur argumentum huius Epistulae Leoninae praecipuum: agitur enim de Udalrico a Wilamowitz-Moellendorff, philologo coryphaeo antiquitatis investigandae praeclaro. Nam mihi operae pretium esse visum est integram symbolam Wikipedianam de hōc viro optimē merito scriptam in Latinum convertere, praesertim cum eadem iusto meritoque dicatur esse excellentissima.

Addidi textum rarissimum: verba Latina ab ipso Wilamowitzio scripta, quibus hic philologus doctissimus refert, a quibus viris eruditus sit.

Denique rogo te, cara lectrix, care lector, ne despicias indicem vocabulorum finalem, quae multo sudore collegi: qui cum spectet ad vocabula coquinaria, procul dubio non est minimi momenti.

Haec hactenus. Vale pancratice et perge mihi favere !

TOLLE, LEGE, LAETARE:

<http://alcuinus.net/ephemeris/leonina.php>

D.07. m.Mart. a.2010 medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>




**«ALTERIUS NON (= NE) SIT,
QUI SUUS ESSE POTEST»**

PARACELSVS (1493-1541)

MYTHI GRAECORUM (XVII) : Phineus et Harpyes

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati,
a Nicolao Groß Latinê redditi.

Matutino tempore cenâ finitâ Argonautae iter perrexerunt. Nonnullis periculis subitis ancoras iecerunt adversus terram Bithyniam, in regione ripariâ, ubi habitabat rex Phineus, herois Agenoris filius. Qui magno malo vexabatur. Nam cum facultate divinandi sibi ab Apolline datâ male abusus esset, aetate senili obcaecatus ab Harpyis miris avibus atrocibus impediabatur, ne ullo cibo frueretur quietus. Nam rapiebant ei ciborum quantumcumque poterant; relicta taediosius inquinabant, quam ut Phineus eadem comederet, immo eorundem propinquitatem pateretur.



HARPYES PHINEO CIBOS ABRIPIUNT.

Tamen oraculo Iovis Phineo solacium erat concessum: Si Boreae filii cum nautis Graecis venissent, ei denuo permissum iri, ut cibis frueretur. Itaque senex de navis adventu ubi primum certior factus est, cubiculum suum reliquit. Phineus erat macerrimus et strigosissimus, umbrae similis, membris senilitate trementibus, oculis vertigine affectis, titubans, baculo nixus; Argonautas cum assequeretur, lassatus delapsus est. Qui miserum senem circumdantes eius aspectu territi sunt. Idem

princeps cum illos adesse accepisset, animo refecto illos flebiliter precatus: «O cari heroes» inquit «si reverâ estis illi, qui oraculo mihi sunt praedicti, me, quaeso, adjuvate; nam Furiae non solum luminibus me privaverunt, sed cibos quoque mihi seni auferunt avibus atrocibus, quas mihi mittunt! Adjuvabitis nequaquam virum alienum: ego sum Phineus, Agenoris filius, Graecus. Olim Thracum fui dominus; filii autem Boreae, qui necessario participes sunt expeditionis vestrae meque servabunt, sunt fratres minores natu Cleopatrae, quae ibi fuit uxor mea». Haec cum audisset, Zetes Boreae filius senem amplexus promisit se fratre adiuvante illum liberaturum esse ab Harpyis molestissimis; et sine morâ Phineo cenam paraverunt avium illarum rapacium ultimam futuram. Vix autem rex cibos tetigerat, cum aves procellae vi repentinâ alis commotis e nubibus proreptae avidissimê cibis insederunt. Heroes cum vehementer exclamarent, Harpyae nequaquam sollicitatae remanserunt, dum omnia devorarent, deinde denuo in aëra se proripuerunt foetore taeterrimo relicto. At Zetes et Calais Boreae filii illas persecuti sunt gladiis dextris. Iuppiter alas necnon vim infatigabilem iis dedit, quibus verê egebant, nam Harpyae celerius volant zephyro ipsissimo.



**CALAIS, ZETES, PHINEUS, HARPYES.
PINXIT BERNARD PICART (1673-1733)**

At Boreae filii naviter illas persecuti saepe sibi videbantur manibus iam corripere posse. Tandem Harpyis tam propinqui fuerunt, ut eas procul dubio cepissent, nisi subito Iris Iovis nuntia ex aethere demissa par heroum sic allocuta esset: “Non licet” inquit “o filii Boreae, gladio occidere Harpyas Iovis canes venaticas. At more deorum per Stygia vobis iuro has aves rapaces non iam molestas fore filio Agenoris.” Tum Boreae filii huic deae iuri iurando cedentes ad navem reverterunt.

Interim heroes Graeci corpus Phinei senis curabant, cenam sacrificam habentes Phineum inediâ consumptum invitaverunt, ut particeps fieret. Qui avidê manducavit cibos puros atque opiparos; ei somnio videbatur fames pasci propria. Dum per noctem expectant filios Boreae redituros, Phineus vetus rex Graecos, ut iis gratias ageret, participes faceret divinationis suae. “Imprimis” inquit “in freto incidetis in Symplegadas; quae sunt duae insulae saxosae, quarum radices infimae non attingunt fundum maris, sed in mari alto natant; saepe una alteri cum impellitur, fluentum maris, quod iisdem interest, horribili cum strepitu augetur. Nisi ad unum omnes disteri volueritis, intra Symplegadas celerius remigate columbis volantibus. Deinde venietis ad litus Mariandynorum, ubi est introitus inferorum. Tum praetervehemini multa promunturia, flumina, litora, urbes Amazonum muliebres, terram Chalybum, qui sudore madentes ferrum e terrâ effodiunt. Tandem pervenietis ad lîtus Colchorum, ubi Phasis flumen fluentum latum mari immittit. Ibi aspicietis rêgis Aietae arcem turritam; ibi draco insomnia custodit vellus aureum, quod pendet culmini quercûs superstratum.”

Verbis senis non sine formidine auditis heroes eum modo interrogaturi erant, cum filii Boreae de caelo devolaverunt regemque nuntio delectabili consolati sunt.

**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS
NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

DUO VIRI CORYPHAEI ANTIQUITATIS INVESTIGANDAE: MOMMSEN ET WILAMOWITZ

Pars Altera:

DE UDALRICO A WILAMOWITZ- MOELLENDORFF (1848-1939)

Symbola e Wikipedia libera encyclopaedia et in Latinum conversa

http://de.wikipedia.org/wiki/Ulrich_von_Wilamowitz-Moellendorff



Udalricus (Ulrich) a Wilamowitz-Moellendorff (1902)

Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff sive potius *Enno* [etiam: *Emmo*] *Friedrich Wichard Ulrich von Wilamowitz-Moellendorff*, qui natus est d.22. m.Dec. a.1848 in praedio *Markowitz, Cuiavia*, provincia *Posen*, mortuus d.25. m.Sept. a.1931 Berolino in urbe, fuit Germanus philologus classicus. Idem professor docuit et investigavit Gryphisvaldae (annis 1876–1883) et Gottingae (a.1883–1897) et Berolini (a.1897–1921). Wilamowitzius unus e disciplinae suae philogis praestantissimis ad saeculi vicesimi philologiae classicae vias rationesque inveniendas et intra et extra Germaniam assidue et insigniter valuit. Nam permultas provincias litteraturae Graecae perquisitas scriptis suis pertractavit, opera scientifica curavit edenda, artem criticam interpretationemque textualem renovavit, totam disciplinam suam scientificam novâ ratione definivit; scientiarum instituta dispensavit, ad professores in

Borussiâ vocandos quendam vim habuit necnon multos alumnos academicos erudit. Praeses Borussicae Academiae scientiarum cum esset, multa incepta academiae curavit praeparanda, praesertim opus *Inscriptionum Graecarum*, quo usque nunc omnes inscriptiones in Graeciâ repertae indicantur et eduntur.

Argumenta

- [1](#) Familia
- 2 Vita
 - 2.1 Eruditio scholaris
 - 2.2 Studia universitaria Bonnensia et Berolinensia
 - 2.3 Belli participem fuisse, itinera fecisse, cum Nietzsche litigasse
 - 2.4 Quomodo docuerit
 - 2.3.1 Gryphisvaldae
 - 2.3.2 Gottingae
 - 2.3.3 Berolini
 - 2.5 Anni posteriores
- 3 Quae praestiterit, quantum valuerit
 - 3.1 Quomodo curaverit scientiarum rationem politicam et dispensationem
 - 3.2 Quos docuerit.
 - 3.3 Philologiam qualem consideraverit, quas res investigaverit.
 - 3.4 Quomodo studuerit disciplinae suae firmandae et divulgandae
 - 3.5 Wilamowitzii dicta factaque investigari ab historicis scientiarum
- 4 Qua fuerit indole animi, quibus moribus.
- 5 Honores
- 6 Opera Wilamowitzii (selecta)
 - 6.1 Opera ab eo ipso scripta
 - 6.2 Editiones criticae et translationes
- 7 Litterae secundariae
 - [7.1](#) Bibliographica e. sim.
 - [7.2](#) Scripta biographica
 - 7.3 Epistulae collectae
 -
- [8](#) Iunctiones interretiales
-
- [9](#) Loci testes

1. Familia

Gens *Wilamowitz-Moellendorff* nomen accepit a generali marescalco campestri *Wichard von Möllendorff* (1724–1816), qui ipse liberis carens aetate proventus *Theodorum a Wilamowitz* (1768-1837) centurionem maiorem ideoque eius filios tres adoptavit. *Hugo* et *Ottokar* et *Arnold* ex anno 1815 permissione regiâ acceperunt nomen duplex gentilicium, quod est *von Wilamowitz-Moellendorff*.

Udalricus (Ulrich) a Wilamowitz-Moellendorff fuit filius secundus natu, tertio loco natus *Arnoldi a Wilamowitz-Moellendorff* (1813–1888) eiusque uxoris *Ulrike*, nata *von Calbo* (1820–1874). Fratres Udalrici fuerunt *Hugo von Wilamowitz-Moellendorff* (1840–1905), praeses superior postea provinciae Posnaniae (*Posen*), et husarus *Tello von Wilamowitz-Moellendorff* (1843–1903) et *Georg Wichard von Wilamowitz-Moellendorff* (1852–1910), postea centurio maior. Udalrico fuit etiam soror nomine *Maria*, quae praematurê mortua est (16.–24. November 1847).

2. Vita



Prædium Markowitzianum, circa a.1860. Pictura collectionis Alexandri Duncker


2.1 Eruditio scholaris

Wilamowitzius infantiam degit in paterno prædio Markowitziano, quod situm erat in Cuiaviâ (*Kujawien*).^[1] Mater quae sciret eius cupiditatem discendi augere filium tradidit apto magistro domestico erudiendum. Die 24. m. April a.1862 Udalricus albo inscriptus est Saxonicae scholae illustrissimae nomine *Portae*, quam circa dies Paschales eiusdem anni coepit frequentare gradu discipuli tertiani. In hac scholâ Wilamowitzius convênit *Fridericum Nietzsche*, qui fuit maior natu; similiter ac

Fridericus etiam Udalricus factus est unus e discipulis huius scholae coryphaeis. ^[2] D. 28. m. Febr. a. 1864 Wilamowitzius confirmatus est.

Carolus Ludovicus Peter, director scholae Portae, apud quem Wilamowitzius habitabat discipulus extraneus, et *Augustus Koberstein* magister discipuli animum ad studium scientiarum antiquitatis excitaverunt. Itaque Wilamowitzius legebat auctores Latinos atque Graecos, praesertim attractus est a tragicis Graecis. Carolus Ludovicus Peter discipulo suo commendavit etiam Theodori Mommseni *Historiam Romanam* legendam, quamvis eandem ipse illam recensione quadamtenus vituperavisset.

2.2 Studia universitaria Bonnensia et Berolinensia



Wilamowitzius (in mediâ parte, petasatus) in circulo commilitonum (Bonnae, semestri aestivo anni 1869).

Mense Septembri a. 1867 Wilamowitzius testimonio maturitatis accepto scholam Portae reliquit Universitatem Bonnensem accedens, ut studeret philologiae classicae

pernoscendae. Ibidem valdê imbutus est doctrinâ professorum, qui spectaverunt ad Scholam Bonnensem philologiae classicae: inter quos fuerunt *Otto Jahn* et *Hermannus Usener*. Praeterea Wilamowitzius scholas frequentabat *Antonii Springer* historici artium et per tria semestria *Iohanne Schmidt* doctore habilitato versatus est in linguâ Sanscritâ discendâ; de eodem viro docto in opere suo *Recordationum (Erinnerungen 1848-1914)*, quod scripsit a.1928, verba fecit laudativa. Etiam scholas academicas philologorum *Iacobi Bernays* et *Friderici Gottlieb Wecker* frequentavit; nec unius seminarii particeps factus temperavit, quin laudaret *Henricum Nissen* palaeohistoricum, illo tempore doctorem modo habilitatum.

Tempore studiorum Bonnensi Wilamowitzius amicitiam contraxit cum *Hermanno Diels* coequali et cognovit commilitones minores natu *Georgium Kaibel* et *Carolus Robertum*, quibuscum postea artâ amicitîâ coniunctus est. Cum Dielsio et Roberto et cum *Valthero Engel* et *Augusto Fritzsche* postea magistris gymnasii Wilamowitzius solebat convenire in habitaculo suo Bonnensi, ubi habebant „contubernium“ quod dicebant.^[3]

Otto Jahn et *Fridericus Vilelmus Ritschl* professores Bonnenses cum tam vehementer inter se litigarent, ut dicerentur gerere *Bellum philologorum Bonnense* (a.1865), plerique studentes philologiae Bonnenses divisi sunt in duas partes. Multi studentes Bonnenses unâ cum Ritschl migraverant ad universitatem studiorum Lipsiensem, inter quos erant etiam *Fridericus Nietzsche* et *Ervinus Rohde*. Ottone Jahn m.Sept. a.1869 mortuo Wilamowitzius semestri hiemali annorum 1869 et 1870 unâ cum Hermanno Diels transmigravit ad Universitatem studiorum Berolinensem etiam praevetustam, ubi attractus est a *Mauricio (Moriz) Haupt* philologo artis criticae textualis modernae praenuntio et initiate. Hac in universitate Wilamowitzius semestri sequente commentatione academicâ, c.t. *Observationes criticae in comoediam Graecam selectae* d.20. m.lul. a.1870 ad gradum doctoris promotus est, censente Mauricio Haupt, examine rigoroso d.14. m.lul. superato.

2.3 Belli participem fuisse, itinera fecisse, cum Nietzsche litigasse

Eodem quoque mense Wilamowitzius Borussiae miles unius anni voluntarius factus est. In bello Germanico-Francogallico, quod paucis diebus ante exortum erat, îdem vir officium gessit granatarii militis cohortalis (*Gardegrenadier*) et spectavit ad batalionem subsidiariam regimenti cohortalis secundi (*Ersatzbataillon des 2.Garderegiments*). Wilamowitzius vehementer spe deceptus est, quod nulla occasio sibi oblata est virtutem in proelio praestandi.^[4] D.20. m.lul. a.1871, paucis mensibus post bellum finitum, militiâ annuâ finitâ Wilamowitzius Berolinum revertit. Hôc tempore primum convênit Theodorum Mommsenum ipsissimum, qui cum sibi placerent opera Wilamowitzii, nonnullis annis post ei mandavit Mauricii Haupt mortui Scripta minora (*Kleine Schriften*) edenda. M.Aug. a.1872 Wilamowitzius Georgio Kaibel comitante profectus est ad iter scientificum sesquiannuum per Italiam et Graeciam faciendum, in quo copiavit codices numerosos.

Anno 1872 lites factae sunt inter Wilamowitzium et *Fridericum Nietzsche*. Îdem enim ex anno 1869 professor Basiliensis, m.Maio a.1872 scriptum publicaverat, c.t. „Partus tragoediae e spiritu musicae factus“ (*Die Geburt der Tragödie aus dem Geiste der Musik*); quo scripto publica effecta est controversia. Quo in opere Nietzscheus agit de auctoritate Euripidis deminuendâ, quem vituperat, quod tragoediam destruxerit; in hac re Nietzscheus contra ac ceteri philologi illius aetatis

non usus est argumentis classicismi aut historismi, sed elemento intuitivo et irrationali. Philologi Germaniae

DIE
GEBURT DER TRAGÖDIE

AUS DEM
GEISTE DER MUSIK.

VON
FRIEDRICH NIETZSCHE,
ORDENTL. PROFESSOR DER CLASSISCHEN PHILOLOGIE AN DER
UNIVERSITÄT BASEL



LEIPZIG.
VERLAG VON E. W. FRITZSCH.
1872.

Folium tituli operis Nietzschei, c.t. *Die Geburt der Tragödie aus dem Geiste der Musik*

honoratiores Nietzschei intentionem nihil curaverunt, cum eandem nullius momenti esse putarent; ipse *Professor Ritschl*, quem Nietzscheus veneraretur, theses illius scripti non defendit. Unicus autem philologus opus illud Nietzschei publicè vituperans fuit iuvenis *Wilamowitzius*, qui a *Rudolfo Schöll* admonitus m. Maio a. 1872 in libello rixatorio, qui inscribitur „Philologia futura!“ (*Zukunftsphilologie!*) dixit haec:^[5] „Dominus Nietzsche nequaquam scribit more investigatoris scientifici: iste enim sapientiam, quam viâ intuitionis nactus est, partim offert elocutione cancellariâ, partim ratione argumentandi, quae diurnarii [...] est persimilis.“ *Wilamowitzius*, qui stilo quasi bellatorio vituperavit rationem litteras tractandi Nietzscheanam, quae sibi philologo videbantur esse parum subtilis, sed non tractavit ipsas Nietzschei theses, nullum accepit responsum ab ipso Nietzscheo scriptam. At *Ervinus Rohde(us)* amicus Nietzschei composuit scriptiunculam controversam, c.t. „Philologia inanis“ (*Afterphilologie*), cui etiam nihil inscripsit nisi verba quasi bellatoria, et *Richardus Wagner* scripsit epistolam publicam. Mense Februario a. 1873 *Wilamowitzius*

rescripsit opusculum, c.t. „Philologia futura. Pars altera. Responsio ad conatûs Friderici Nietzschei ‚Partum tragoediae’ servandi”. Hôc opusculo publicato finita est lis non composita. Viri autem rei periti hac controversia stupefacti tacuerant. Nam ex



**A dextris ad sinistra: Fridricus Nietzsche, Carolus a Gersdorff, Ervinus Rohde.
m. Oct. a. 1871**

opprobriis, maximam partem a Wilamowitzio et Rohdeo invicem factis apparuit utrumque altercari ipsam adversarii opinionem negligentem necnon rebus praecipuis praetermissis rixari verbis bellatoris.^[6]

Nietzscheus autem inclinationem animi secutus definitivê a philologiâ classicâ se avertit; quare Wilamowitzius dixit se gaudere. Decenniis demum postea philosophia Nietzscheana ultra limites disciplinae erat vim habitura, cum in locum Wilamowitzianae opinionis classicismo adversae ex annis saeculi vicesimi vicenariis suppositus est „humanismus tertius”. Wilamowitzius autem in „Recordationibus“ (*Erinnerungen*) 50 annis postea compositis rationem reddit scriptiunculae suae controversae cum aliis tum eo, quod dicit se voluisse patefacere methodum

Nietzschei sibi philologo parum subtilem necnon Nietzscheum coercere, qui verbis nimis pugnacibus vituperasset *Ottonem Jahn* propter eius recensionem operum Wagnerianorum.

A.1873 Wilamowitzius Româ in urbe factum est membrum Germanici Instituti Archaeologici correspondens. Hôc in instituto îdem vir, cum sibi etiam familiariores facti sunt *Georgius Kaibel* et *Carolus Robertus*, tum amicitiam contraxit cum *Friderico Leo(ne)*, qui postea collega sibi factus est Gottingensis. Praeterea in Germanico Instituto Archaeologico Wilamowitzius coepit saepius convenire *Theodorum Mommsenum*, quocum usque ad mortem eius (a.1903) ratione coniunctus erat familiari, quamvis difficili.^[5] Hôc tempore *Henricus Schliemann* vir non academicus „Thesauri Priami“ (qualem appellavit) reperto admirationem vulgi profani cum moveret, ab archaeologis Germanis Romae degentibus potius in ridiculum convertebatur. Imprimis fabulâ uxoris suae, quae a Schliemannio narrabatur thesaurum panno involutum vigiles praeteriens surripuisse, effectum est, ut Troiae repertor a viris academicis sapientiam professis subsannaretur rebus ridiculis animo fictis. Itaque inter Natale Domini in Germanico Instituto Archaeologico celebratum Wilamowitzius, ut collegas exhilararet, personam gerens uxoris Schliemannii veste muliebri indutus illam scaenam egit thesauri surripiendi.^[7] Annis vitae posterioribus Wilamowitzium paenituit istius „transvestitionis indignae“.^[8]

2.4 Quomodo docuerit

Itineribus factis Wilamowitzius Berolini se dedit habilitationi petendae, quam Analectis Euripideis, quae dedicaverat Theodoro Mommsen, d.30. m.Iul. a.1875 assecutus est. D.7. m.Aug. orationem habuit aditalem. Munus professoris extraordinarii ab Universitate studiorum Vratislaviensi sibi oblatum Wilamowitzius recusavit. Loco eius circa festum Paschae a.1876 îdem accessit Universitatem Gryphisvaldensensem successor *Eduardi Hiller* cathedram suscepturus, quae prius destinata erat *Friderico Nietzscheo*.

D.20. m.Sept. a.1878 Wilamowitzius in oppido *Charlottenburg* in matrimonium duxit *Mariam Mommsen* 23 annos natam (1855–1936), filiam Theodori Mommsen maximam natu. Wilamowitzius postea scripsit hôc connubio facto „incohatam esse vitam meliorem“.^[9] Pari coniugum nati sunt tres filii et quattuor filiae: *Dorothea* (1879–1972) et *Adelheid* (1881–1954) et *Gottfried Hermann* (*† 1882) et *Tycho* (1885–1914), *Hermann* (1887–1938) et *Hildegard* (1892–1989). Tychonis soror gemina unâ septimanâ tantum post partum mortua est.^[10]

2.4.1 Anni Gryphisvaldenses

Gryphisvaldensi in universitate studiorum Wilamowitzius duabus de causis male se habuit: Et urbs et universitas erant parvae eique videbantur esse nimis somniculosae, necnon Wilamowitzius a collegis more suo loquendi et vituperandi nimis acri solebat vitari, praesertim cum dissideret ab *Ottone Seeck* palaeohistorico, quem Mommsen commendaverat. Operibus maioribus primo publicatis non tantam attentionem effecit, quantam exoptaverat. Praeterea Wilamowitzius unâ cum collegâ *Adolpho Kießling* curabat seriem Perquisitionum philologicarum (*Philologische Untersuchungen*), quae ab a.1880 usque ad a.1925 triginta tomis edita est,^{[11][12]} necnon Mommsenium adiuvabat quintum tomum *Historiae Romanae* tractantem. Îdem scripsit etiam symbolas pro periodicis, quae inscribuntur *Philologus* et *Hermes*; quorum postremi argumenta a Mommseno et Wilamowitzio sunt statuta. Post litem

cum *Aemilio Hübner* a.1881 factam Wilamowitzius Carolo Roberto atque Georgio Kaibelo mandavit loco Hübneri *Hermetem* edendum.^[13]

2.4.2 Anni Gottingenses

Quia auctore *Friderico Althoff* direttore ministeriali, quocum familiariter coniunctus erat, m.lul. a.1883 in universitatem Gottingensem vocatus esset, Wilamowitzio licuit Gryphisvaldam relinquere. In anni 1883 semestre hiemale Wilamowitzius successor *Ernesti a Leutsch* emeriti Gottingam migravit curans, ut *Georgius Kaibel* successor sui Gryphisvaldam vocaretur.

Iam anno 1877, quo cathedra philologiae classicae Gottingensis vacavit, Wilamowitzius praeter *Ervinum Rohde* et *Carolus Dilthey* ab Universitatis moderatoribus pro candidato habitus erat. At illo tempore *Ernestus a Leutsch* cum impediret, ne Wilamowitzio munus offerretur, *Dilthey* ad hanc cathedram vocatus est.^[14] Cum *Leutsch* et *Sauppe* senescentes et *Dilthey* saepe aegrotans alumnis docendis parum conferrent, Wilamowitzius studebat collegis peritis vocandis. A.1889 *Fridericus Leo* et *Vilelmus Meyer* ad Universitatem Gottingensem venerunt. *Christiani Augusti Volquardsenii* facultate docendi parum sufficiente Wilamowitzius coactus est etiam vices gerere professoris historiam antiquam docentis. Postquam diu studuit *Volquardsenium* in alium locum transcribere, a.1897 idem commotus est, ut locum suum permutaret cum *Georgio Busolt* palaeohistorico Chiloniensi, qui usque ad mortem suam a.1920 Gottingae docuit et investigavit.

Tempus Gottingense a Wilamowitzio postea saepe habitum est pro „vitae meae felicissimo“^[15]. Cum collegis, praecipuè cum *Hermannno Sauppe* et *Friderico Leone* et *Iulio Wellhausen* Veteris Testamenti investigatore, qui auctore *Althoffio* a.1892 vocatus erat, optimè concordavit. *Wellhausenio*, qui iam Gryphisvaldae collega sua fuerat, a.1884 „Disquisitiones Homericas“ (*Homerische Untersuchungen*) dedicaverat. Gottingae autem Wilamowitzio complura munera ab aliis universitatibus sunt oblata, quae omnia recusavit: a.1885 ab Universitate Argentoratensi (i.e. Strateburgensi), a.1886 ab Heidelbergensi, a.1889 a Bonnensi (ut successor fieret *Eduardi Lübbert* mortui). Iam a.1880 in facultate philologiae Bonnensi deliberatum erat de Wilamowitzio successore *Friderici Heimsoeth* a.1877 mortui vocando, sed causis pecuniariis decretum est, ut *Lübbertio* munus offerretur. Anno academico 1891/1892 Wilamowitzius fuit prorektor Universitatis Gottingensis. M.lan. a.1892 Wilamowitzius statu membri ordinarii cooptatus est in Regiam Societatem Scientiarum Gottingensem, *Hermannno Sauppe* autem mortuo idem a.1894 factus est secretarius eiusdem societatis. Eodem anno a Germanico Instituto Archaeologico eidem attributus est status membri ordinarii.

2.4.3 Anni Berolinenses


Iam a.1895 *Fridericus Althoff* Berolini studebat id efficere, ut Wilamowitzio offerretur munus professoris Universitatis Berolinensis. *Hermannus Diels*, Wilamowitzii quondam commilito, qui in eâdem universitate ex anno 1882 professor erat extraordinarius, ex a.1886 ordinarius, haec studia augebat. At cum Wilamowitzius ipse dubitabat Gottingam relinquere, tum praecipuè professores Berolinenses *Ernestus Curtius* et *Adolfus Kirchhoff* et *Iohannes Vahlen* auctoritatem suam opponerent Wilamowitzio Berolinum vocando.^[16] Curtio m.lul. a.1896 mortuo demum fieri potuit, ut Wilamowitzius in animum induceret munus successoris Curtii oblatum accipere et Gottingam a.1897 relinquere. Commendavit autem, ut cathedram

Gotttingensem susciperet *Georgius Kaibel* – ita ut commendaverat a.1883, ut îdem commilito quondam suus susciperet cathedram Gryphisvaldensensem.



Wilamowitzius Gryphisvaldae docens (a.1878)

Berolini autem Wilamowitz industriê se dedit studiis et laboribus scientificis. Exemplum Mommseni secutus munere fungebatur labores scientificas dispensandi interque varias nationes conciliandi. Cum *Friderico Althoff* agendo Wilamowitz id assecutus est, ut liberaretur ab examinibus habendis, ut conderetur institutum scientiae antiquitatis, cui praepositi sunt Wilamowitz et Diels, ut fierent acroases publicae, quae postea a Wilamowitzio fiebant omni die Lunae Iovisque et solebant bene frequentari. Praeterea in Wilamowitzii habitaculo Westendiensi alterâ quâque septimanâ fiebat congregatio „Graeca“ appellata, in qua legebantur textûs Graeci. A.1899 Wilamowitz inter praesides Germanici Instituti Archaeologici cooptatus est. Borussica Academia scientiarum, quae Wilamowitzium a.1891 cooptaverat membrum correspondens, a.1899 *Henrico Kiepert* mortuo membrum cooptavit ordinarium. Wilamowitz a.1902 hanc Academiam, in qua multum valebat, suscepit ducendam.



Wilamowitzius (a sinistris) et Hermannus Sauppe Gottingae semestri annorum 1887/88 hiemali docentes. Sauppe erat amicus Ottonis Jahn.

A.1901 fulmine fortunae ictus est morte *Georgii Kaibel* amici familiarissimi. Duobus tantum annis post mortuus est *Theodorus Mommsen* natu pergrandis. Tamen Wilamowitz laborare non desinens a.1910 factus est consiliarius regiminis secretus. Porro peregrê acroases fecit, velut Oxonii (a.1908) et Uppsalae (a.1912). Wilamowitz autem munus professoris invitati semestri hiemali annorum 1912/13 sibi oblatum recusavit, quia collegium universitatis Americanae ducebat sibi inferius. M.Apr. a.1913 Londinii particeps factus est Tertii Conventus Historicorum Internationalis, a. 1915/1916 academico functus est munere rectoris Universitatis Berolinensis.

2.5 Anni posteriores

Primum Bellum Mundanum magnam habuit vim ad Wilamowitzii vitam vitaeque rationes atque persuasiones. Ut erat filius patris locupletis vetustati maximê propitius, amore patriae affectus Borussiam defendit verbis flagrantissimis; îdem orationes habuit huiusmodi, quas a.1915 curavit imprimendas, incohavit a.1914 *Declarationem in Regno Germanico docentium* et subscripsit *Manifestationi 93 (nonaginta trium)*; eodem tempore Tycho filius Wilamowitzii in fronte exercitûs Germanici orientali cecidit. Cum bellum a Germanis gerendum esse proclamaret atque manifestaret,

Wilamowitzii auctoritas apud viros doctos nationum exterarum deminuta est. A.1915 privatus est honore membri *Parisiensis Academiae Inscriptionum et Litterarum Elegantiorum*. At Wilamowitz ubi primum cognovit, quale et quantum esset modernum bellum destructivum, a sententiâ destitit.



Imago lithographica Maximiliani Liebermann, quae a.1915 confecta est pars seriei imaginum virorum Borussorum patriae amatorum.^[17]

A.1917/1918 Wilamowitzius particeps fuit Camerae Dominorum Borussicae (*Preußisches Herrenhaus*). Collapsus Imperii Vilelmiani a.1918 factus necnon mors Hermanni Diels atque Caroli Roberti amicorum a.1922 facta vitam Wilamowitzii reddiderunt insuavem. Spe deceptus eo tempore scholas habebat sine illâ animi inflammatione, qua prius habuerat, vix iam faciebat acroases publicas.^[18] Quod a.1921 rude donatus est, Wilamowitzi visus est praematurê et iniustê factum; perrexit habere scholas et seminaria. Successor eiusque discipulus cathedram suscepit *Varnerius (Werner) Jaeger* (1888–1961), qui iam multis in rebus aversus erat a magistri sententiis. Tamen Wilamowitzius tam diu perrexit in universitate scholas habere, usque dum malâ valetudine impeditus est.^[19] A.1925 îdem acroases fecit Hafniae. A.1928 ab editoribus periodicorum, quae inscribuntur *Philologus*, *Hermes*, *Gnomon*, Wilamowitzio in diem natalem octogesimum gratulati sunt, studiosi Berolinenses in eius honorem pompam duxerunt facularum.



Tabula memorialis Wilamowitzii domui Westendiensi affixa.

Circa a.1927 Wilamowitzii valetudo coepit rapidê ingravescere. Mense Septembri idem philologus in conventu philologorum Gottingensi acroasin fecit ultimam.^[20] Ultimum Wilamowitzii opus magnum inscribitur "De fide Hellenum" (*Glaube der Hellenen*), quod Hermanni Usener „Nominibus deorum“ (*Götternamen*, Bonnae a.1896) re tractatâ congruit, tamen argumentis est dissimile. Wilamowitzius morbo renali affectus lecto tentus medicamentis analgeticis sumptis textum operis dictavit *Dorotheae* filiae, quae ex a.1905 cum *Friderico Hiller* epigrapho conubio erat coniuncta. A.1929 Wilamowitzio opus erat abrumpendum; quod editum est a *Gunthero Klaffenbach* epigrapho. D.17. et 18. m.lul. a.1931 ultimo particeps factus est sessionum Instituti Germanici Archaeologici. D.25. m.Sept. Udalicus a Wilamowitz-Moellendorff mortuus est anno aetatis suae octogesimo tertio, postquam per complures menses comate affectus est. Ut exoptaverat, Wilamowitzius sepultus est in sepulcro gentis Baronum a Wilamowitz-Moellendorff in oppido *Möllendorf* (hodie: *Wymysłowice*, *województwo Kujawsko-Pomorskie*, i.e ducatus Cuiavia-Pomerania), quo Hermannus filius attulit urnam, cui inerat cinis patris, qui unâ cum uxoris adhuc iacet iuxta cenotaphium Tychoni filio erectum. Quod sepulcrum

nonnullis demum annis ante desitum est coli a discipulis studiosisque circumiectorum.^{[21][10]}

3. Quae praestiterit, quantum valuerit.

Udalricus a Wilamowitz-Moellendorff ad philologiam classicam multimodis effecerit eademque qualis evasura esset praeceperit. Vix fieri potest, ut eius merita nimii aestimentur: Qui *Friderici Augusti Wolff* cogitationes ad historiam textuum spectantes adhibuit ad Graecorum tragoediam poesinque bucolicam explicandam; îdem philologus in provinciis tragoediae et comoediae et philosophiae Platonicae et prioris poeseos Graecae lyricae poeseosque hellenisticae confecit numerosas editiones et commentarios et translationes. Eius *Arte Graecorum metricâ (Griechische Verskunst)* huius provinciae investigatio posita est in novis fundamentis, quae adhuc valent.^[22] In summâ a philologis classicis gratiae agenda sunt Wilamowitzio, quod îdem quodammodo invênit auctores Graecos, qui ante et post aetatem classicam scripserunt, verê dignos esse tractatu et investigatu necnon quod ille laboribus philologicis iniunxit cognitiones atque methodos archaeologiae, papyrologiae, linguisticae scientiae comparativae, epigraphiae, historiae antiquae.^[18]

3.1 Quomodo curaverit scientiarum rationem politicam et dispensationem.

Wilamowitzius cum esset *Friderici Althoff* directoris ministerialis consiliarius, multum valuit ad Borussicarum universitatum cathedras occupandas. Itaque cum amici sui *Georgii Kaibel* cursum honorem academicum dirigeret, recensione vehementer destructivâ impedivit, ne *Paulus Cauer* philologus talem cursum absolveret. Wilamowitzius quomodo ex officio existimaverit de muneribus universitariis attribuendis, legi potest in epistularum eius ad *Althoff* scriptarum collectione, quae Francofurti ad Moenum a. 1989 edita est sub titulo *Berufungspolitik innerhalb der Altertumswissenschaft im wilhelminischen Preußen*.^[16]

Wilamowitzius cum esset scientiarum dispensator, intra et extra patriam studebat cooperationi scientistarum fovendae. Curavit, ut a.1894 Friderico Leone moderante conderetur institutum Thesauri Linguae Latinae (ThLL), quo componitur lexicon Latinitatis antiquae omnium copiosissimum. Wilamowitzius Borussicam Academiam Scientiarum urgens id assecutus est, ut *Corpus Inscriptionum Graecarum* edi pergeretur, quod paulatim fiebat inceptum maius, cui nomen imponeretur *Inscriptiones Graecae*. Necnon îdem vir doctus naviter particeps erat commissionis, quo edebatur *Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum*, verbis efferens, quantum ad hoc opus valeret philologia. Ex anno 1926 Wilamowitzius unâ cum aliis edidit societatis Sueticae nomine *Vetenskapssocieteten i Lund* periodicum philologicum recensorium, c.t. *Litteris*. Item unâ cum aliis collegit *Fragmenta Praesocraticorum*.

3.2 Quos docuerit.

Wilamowitzius scholis academicis acroasibusque disertissimê atque ingeniosissimê habendis iterum iterumque id assequebatur, ut auditorum animos mirum in modum inflammatos ad antiquitatem pernoscendam converteret. Inter numerosos eius discipulos cum ceteri tum praecipui ii sunt qui sequuntur: *Varnierius Jaeger*, *Eduardus Fraenkel*, *Hermannus Fraenkel*, *Paulus Friedländer*, *Iohannes Geffcken*, *Alfredus Gercke*, *Felix Jacoby*, *Paulus Maas*, *Maximilianus Pohlenz*, *Carolus*

Reinhardt, Wolfgang Schadewaldt, Eduardus Schwartz, Ludovicus Traube. In regione anglosaxonica Wilamowitzius, cum praecipue *Gilbertum Murray* Britannum et *Basilium Lanneau Gildersleeve* Americanum docuerit condendam esse philologiam classicam ratione verè scientificà colendam, saltem in Civitatibus Unitis licet haberi pro uno ex huius disciplinae conditoribus. Nonnulli ex Wilamowitzii alumnis, cum tempore socialismi nationalis sibi emigrandum fuisset, Americae atque Britanniae philologiam classicam confirmaverunt; inter quos fuerunt *Eduardus* et *Hermannus Fraenkel, Jacoby, Jaeger, Maas.*



Eduardus Schwartz
(Gryphisvaldensis)



Ludovicus Traube
(Gryphisvaldensis)



Varnerius Jaeger
(Berolinensis)



Gilbertus Murray

3.3 Philologiam qualem consideraverit, quas res investigaverit

Wilamowitzius suae disciplinae historismum docens etiam apud viros doctos nationum exterarum magni aestimabatur. Eidem persuasum erat omnes disciplinae antiquitatis investigandae in quendam unitatem contextas esse: philologiam considerabat scientiam historicam, archaeologiam habebat pro „philologiâ monumentalî“. ^[23] Eo ipso philologiam non definivit methodo, sed materiâ tractandâ: investigatoribus antiquitatis id esse propositum, ut totam antiquitatem Graeco-Romanam investigatam describerent textibus aliisque testimoniis usi nixique; phaenomena singularia esse analyticè, universa syntheticè esse investiganda. ^[22]

Ut Wilamowitzius disciplinam suam scientificam considerabat, ita etiam litteras antiquas investigandas. Îdem opera antiquitatis explanabat “secundum condiciones cultûs civilis historiaeque socialis, quae illâ aetate valuerunt, qua scripta sunt, et ratione disciplinae antiquitatis universalis ad textûs interpretandos archaeologicis quoque testimoniis usus est“. ^[22]

Îdem philologus in litteris Graecis investigandis specialiter tractabat epos et tragoediam et poesin hellenicam. Wilamowitzius quaestionem Homericam tractans sensit Iliadem et Odysseam carmina narrativa scripta esse ab auctoribus diversis. Porro varios invênit redactores, quos putavit Odysseam ad eam formam textuum redegisse, qua per philologos Alexandrinos ad aetatem novam tradita esset.

Valdè meritis est Wilamowitzius de poesi hellenicâ tractandâ. Hellenismus specialis esse aetas litteraturae iam a *Gustavo Droysen* cognitus erat. Wilamowitzius autem studuit huic aetati litterarum Graecarum generaliter intelligendae. Cum îdem aetatis classicae notionem traditam recusaret, etiam negavit poesin hellenicam esse classicae poeseos quinti saeculi a.Chr.n. continuationem. Wilamowitzius variis notionibus illustrabat poesin hellenicam. In hac re perquam dignum notatu est, quod îdem philologus hellenicis litteras habuit pro litteris „barocis“ notione Friderici Nietzsche rei baroccae usus eo, quod non solum certam aetatem litteraturae appellavit baroccam, sed quoddam cultûs civilis litteraturaeque

phaenomenon generale. Poetarum autem hellenisticorum opera censuit esse „figmenta artificialia“, quae essent „a vitâ aliena“. ^[24]

Ars autem Graecorum metrica a Wilamowitzio tractabatur ex annis septuagenariis saeculi undevicesimi. Praeter nonnullas symbolas periodicorum idem philologus a.1895 duobus tomis formae quartae minoribus publicavit *Commentariolum metricum*. Magnam monographiam, c.t. *Griechische Verskunst*, a.1921 demum perfecit. Quo in opere tractatur de investigatione artis metricae, de statu, quo sit aetate Wilamowitzii, de historiâ et qualitibus artis metricae necnon de omnibus versuum stropharumque generibus. Hoc opus, quod adhuc est fundamentale, annis 1958, 1975, 1984 redimpressum est integrum. Wilamowitzius, cum ipse non exspectaret opus acceptum iri successu tam prospero, in praefatione scripsit haec: „...dubito, an successu comprobetur, quod ausus sum hoc opus edere. Nam idem quodammodo est placenta dura, et olim philologi numerosos versûs criticê editos tamquam dulces uvas passas laudavissent, sed hodie ars critica parum est in more.“^[25] Idem liber, qui complectitur 630 paginas, disposita est in incisa tria: Primo inciso auctor explicat, quatenus inter se differant structura versuum palaeograeca et moderna et poesis ad prorsam orationem, theorias Graecorum antiquorum metricas tractat, finitur conspectu quodam historico metricae artis Graecorum. Incisum autem alterum spectat ad varia metra, ad stropharum structuram, ad strophas inaequaliter constructas singillatim tractandas. Tertium denique incisum continet analyses metricas carminum singulorum cum ab aliis tum a Pindaro et Sophocle et Euripide et Aristophane scriptas et concluditur indice copioso.

3.4 Quomodo studuerit disciplinae suae firmandae et divulgandae.

Annis 1890 et 1900 cum conferentiis scholarum Borussicis institutio gymnasiorum esset reformata, Wilamowitzius eruditionem humanisticam afflictam esse credens *Godefrido Aly* institutionem linguarum antiquarum deminuenti adversari perrexit necnon pertinaciter detinebat extemporale scholare Latinê scribendum.^[26] Wilamowitzii opus, quod inscribitur *Griechisches Lesebuch* (a.1902 editum) multis locis adhibebatur et compluries editum est.

Idem philologus valdê studebat disciplinam antiquitatis investigandae quam plurimis hominibus rei non doctis sed cupidis explicare. Ad hunc finem assequendum cum faciebat scholas academicas publicas, tum in theodiscum sermonem convertebat textûs antiquos, quod ei videbatur esse officium suum nationale. Quod attinet de antiquis operibus in modernum sermonem transferendis, Wilamowitzius postulavit haec duo quae sequuntur: primo – ut translationes lectori moderno minimum tam faciles intellectu sint quam textûs originales lectori antiquo, secundo – ut translationis forma poetica cum textûs originalis formâ si non exactê congruat, saltem prope aequê una sensum alterius exprimat. His rationibus transferendi Wilamowitzius a rationibus classicismi traditis se absolvens textûs antiquos tractabat insolito more moderno. Ita factum est, ut Udalricus a quibusdam coequalibus vehementer vituperaretur; nonnulli enim ei obicerent, quod elocutionis parum peritus verba auctorum classicorum redigeret ad formam nimis simplicem. Praecipuê *Fridericus Gundolf* (circuli poetae *Stephani George* particeps) et *Rudolfus Borchardt* reprobaverunt Platonicorum operum translationem atque explanationem Wilamowitzianam, quam posterior acriter dicit confectam esse a „magno isto tecnico, qui instinctûs est expers“, prior appellat titulo ridiculo qui est „Plato ad usum ancillarum scriptus“

(*Plato für Dienstmädchen*).^[27] Itaque Wilamowitzii tragoediarum translationes numerosae ad usum multorum destinatae post eius mortem non iam sunt editae.

Cum Berolini degeret, Wilamowitzius curavit nonnullas fabulas in theatro agendas (cum fabularum actionibus hospitalibus Vindobonae factis). Post eius mortem translationes ab ipso factae raro tantum adhibitae sunt ad fabularum actiones theatricas: In ludos Olympios a.1936 Berolini acta est *Orestia* Aeschyli, a.1955 Essendiae *Hiketides* Euripidis, annis 1978, 1979, 1981 Coloniae Agrippinae, Dusseldorphae, Mylhemiae ad Rurinnam *Cyclops* Euripidis. Quod attinet ad fabularum actiones theatricas, mirandum est quod Wilamowitzius confessus est se ipsum non amare theatrum: „actiones theatricas spectare parum cupiebam, raro me saturabat, non licebat propter iacturam temporis.“^[28]

3.5 Wilamowitzii dicta factaque investigari ab historicis scientiarum

Vilelmus M. Calder III graecista Americanus nonnullis decenniis ante coepit investigare Wilamowitzius quae effecisset, qualibus moribus fuisset, quomodo eius opera recepta essent. Idem graecista publicavit complura commercia epistularum necnon alia opera Wilamowitziana. Calder usus est rebus a *Dorotheâ* filiâ Wilamowitzii (quae mortua est a.1972) eiusque marito *Friderico Barone Hiller de Gaertringen*, traditis, qui Wilamowitzio mortuo coeperunt epistulas et carmina et commentarios memoriales viri mortui colligere. Nuntio periodico *Gnomonis* inserto viri mortui discipulos amicosque adhortati sunt, ut conferrent ad collectionem edendam. At *Calder*, cum ideologiae deditus condiciones politicae et social-cultuales, quae in Germaniâ valuerunt aetate Imperatoris Vilelmi et rei publicae Vimarianae, parum convenienter describat et litteras a Wilamowitzio relictas ratione nimis autobiographicâ consideret, a nonnullis reprehenditur. Praeter hos defectûs methodi a censoribus vituperatae sunt litterarum Wilamowitzii theodiscarum transcriptio mendosa necnon paragrammata frequentia.^[29] In Germaniâ vita opusque Wilamowitzii cum ab aliis tum praecipuê ab his viris investigantur qui sequuntur: *Paulus Dräger*, *Stephanus Heilen*, *Rudolfus Kassel*, *Robertus Kirstein*, *Wilt Aden Schröder*. Investigatio Wilamowitziana atque Mommseniana imprimis fit a *Paulo Dräger*, qui cum horum virorum coryphaeorum familias bene noverit, ab iisdem consilio et documentis adhuc non editis solet adiuvari.^[30]

Brevi postquam Wilamowitzius mortuus est, *Otto Kern* palaeophilologus et historicus coepit scribere vitam Wilamowitzii, quae a.1942 eo ipso mortuo remansit imperfecta et inedita. Vita Wilamowitzii a *Kern* scripta illo tempore a familiâ mortui reprobata est propter elocutionem nimis panegyricam, tamen multum valet, quia continet documenta cuiusdam momenti. Capitulum, quod *Kern* scripsit de tempore Wilamowitzii Gryphisvaldensi, a *Paulo Dräger* editum est a.2003.^{[12][31]}

4. Wilamowitzius qua fuerit indole animi, quibus moribus.

Animus Wilamowitzius, ut erat filius nobilis viri Borussi possessoris agrorum locupletis, vetustati maximê erat propitius. *Iohannes Albrechtus Koch* in Germanicâ Encyclopaediâ Biographicâ (*Deutsche Biographische Enzyklopädie*) dicit haec: “Quod attinet ad animi indolem, Wilamowitzius insignis erat contrarietate rigoris conservativi et iuvenilis ingenuitatis“^[5] et verbis effert „Recordationes“ (*Erinnerungen 1848–1914*) Wilamowitzii, quas dicit esse investigatoribus scientificis maximê utiles, finiri Primo Bello Mundano exardescente. Wilamowitzius enim, cum se definiret esse

civem regni Vilelmini, non comprobavit rem publicam Vimarianam, quae sibi videbatur esse „ignava ochlocratia“.^[32] Itaque saepe Imperium Germanicum comparabat cum Atheniensibus saeculo quinto a.Chr.n. ad altiora tendentibus, necnon interdum quaedam laus patriae imperialis subrepebat in ipsas symbolas suas scientificas.



Rudolfus Dührkoop: Photographema Udalrici a Wilamowitz-Moellendorff; circa a.1905 ratione heliotypicâ confectum.

Itaque facile est intellectu, quod Wilamowitzius cum *Theodoro Mommsen*, qui rei populari maximê faveret, saepe habebat controversias. Ex saeculi undevicesimi annis nonagenariis unus ab altero magis magisque abalienabatur, quod apparet ex epistularum collectione, c.t. *Aus dem Freund ein Sohn* (epistulae ab a.1872 ad annum 1903 scriptae). Titulo non solum alluditur ad connubium filiae Mommseni cum Wilamowitzio factum, sed etiam ad mutuam rationem horum virorum mutatam.

Quamvis animo esset conservativo, Wilamowitzius strictê reprobavit antisemitismum, quem coram publico repudiabat verbis acribus. Hac re postea apud socialistas nationales infamiam contraxit, qui dixerunt illum discipulos Iudaeos non aliter ac alios foventem scientias antiquitatis „iudicavisse“ („*Verjudung*“). Nec Wilamowitzius Borussicam suam civitatem umquam seiunxit ab origine suâ Polonicâ. Nomen enim *Wilamowitz* significat „Vilelmi filium“; maiores autem Wilamowitzii cum incolis agrorum suorum Polonis semper bene concordaverant.^[33]

Quantocumque erat rigore mentis politico, Wilamowitzius omni aetate se praebeuit paratum ideas discipulorum sui novas cognoscere. Itaque *Varnerius Jaeger* linguis antiquis in systemate suo scientiarum antiquitatis vim prorsus novam attribuit. Ea, quae Wilamowitzius dixit, postquam perlêgit dissertationem *Volfgangi Schadewaldt*

discipuli sui a.1924 scriptam, qua *Schadewaldt* investigationes magistri sui ad Euripidem spectantes magnâ ex parte refutat, facta sunt verba âlata: „Ad rediscendum semper paratus“ (*umzulernen stets bereit*).^[34]

Wilamowitzius solebat cognatos sibi proximos comparare cum personis antiquitatis Graecae: Matri, cui decorem addebat supra verum, nomen imposuit Sapphonis, patri primum Thesei, postea Amphitryonis. *Margherita Isnardi Parente* a.1973 verbis cuiusdam symbolae extulit, quatenus Wilamowitzius philologus cursu vitae suae similis sit Platoni philosopho theoriaeque politicae auctori.^[35]

5. Honores

- 1873 korrespondierendes Mitglied des [Deutschen Archâologischen Instituts](#), 1891 ordentliches Mitglied, 1902 Vorstandsmitglied
- 1886 Ritterkreuz des [Königlichen Hausordens von Hohenzollern](#)
- 1891 korrespondierendes, 1899 ordentliches Mitglied der [Preußischen Akademie der Wissenschaften](#), 1902 Vorsitzender
- 1892 ordentliches Mitglied der [Königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen](#), 1894 Sekretâr, 1897 auswärtiges Mitglied, 1918 Ehrenmitglied
- 1903 auswärtiges Mitglied der [Accademia Nazionale dei Lincei](#) in Rom
- 1904 korrespondierendes Mitglied der [Bayerischen Akademie der Wissenschaften](#)
- 1905 Mitglied der [Académie des Inscriptions et Belles-Lettres](#) (1915 ausgeschlossen)
- 1907 korrespondierendes Mitglied der [Akademie der Wissenschaften zu St. Petersburg](#), 1929 Ehrenmitglied
- 1908 Orden [Pour le mérite für Wissenschaft und Künste](#)
- 1909 korrespondierendes Mitglied der [Norwegischen Akademie der Wissenschaften](#)
- 1909 korrespondierendes Mitglied der [Akademie der Wissenschaften zu Wien](#), 1922 Ehrenmitglied
- 1910 Ehrendoktorwürde der theologischen Fakultät der [Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin](#)
- 1911 Ehrendoktorwürde der philosophischen Fakultät der [Universität Oslo](#)
- 1921 Ehrenmitglied der [Vetenskaps societeten i Lund](#)
- 1924 ordentliches Mitglied der [Akademie gemeinnütziger Wissenschaften](#) zu Erfurt
- 1927 Ehrendoktorwürde der philosophischen Fakultät der [Universität Genf](#)
- 1928 [Adlerschild des Deutschen Reiches](#)
- 1928 Ehrendoktorwürde der medizinischen Fakultät der [Universität Greifswald](#)
- 1991 Gedenktafel an seinem ehemaligen Wohnhaus in der Eichenallee 12

6. Opera Wilamowitzii (selecta)

6.1 Opera ab eo ipso scripta

Ex annis et numeris editionum renovatarum apparet, quatenus aliquod valeat usque ad tempus hodiernum.

- *In wieweit befriedigen die Schlüsse der erhaltenen griechischen Trauerspiele? Ein ästhetischer Versuch [1867]*. Edited by William M. Calder III, Leiden 1974.
- *Observationes criticae in comoediam Graecam selectae* (Dissertation Berlin 1870), Berlin: Schade 1870.
- *Analecta Euripidea* (Habilitationsschrift Berlin 1875), Berlin: Borntraeger 1875.
- *Aus Kydathen*, Berlin 1880.
- *Antigonos von Karystos*, Berlin: Weidmann 1881. 2. Auflage 1966.
- *Homerische Untersuchungen*, Berlin: Weidmann 1884.
- *Aristoteles und Athen*, Berlin: Weidmann 1893. 2 Bände. 3. Auflage 1985.
- *Die Textgeschichte der griechischen Lyriker*, Berlin: Weidmann 1900. 2. Auflage 1970.
- *Reden und Vorträge*, Berlin: Weidmann 1901. 4., umgearbeitete Auflage 1925–1926.
- *Griechisches Lesebuch*, Berlin: Weidmann 1902. 2 Bände.
- *Die Textgeschichte der griechischen Bukoliker*, Berlin: Weidmann 1906.
- *Einleitung in die griechische Tragödie*, Berlin: Weidmann 1907. Unveränderter Nachdruck aus *Euripides Herakles*, Band 1, Kapitel 1–4. 1. Auflage.
- Paul Hinneberg (Herausgeber): *Die Kultur der Gegenwart*. Folgende Bände stammen von Wilamowitz:
 - *Die griechische und lateinische Literatur und Sprache*, Berlin: Teubner 1907. 2. verbesserte und vermehrte Auflage. 3. stark verbesserte und vermehrte Auflage 1912. Nachdruck 1995.
 - *Staat und Gesellschaft der Griechen und Römer*, Berlin: Teubner 1910. 2. Auflage 1923. Nachdruck 1979.
- *Sappho und Simonides: Untersuchungen über griechische Lyriker*, Berlin: Weidmann 1913. Nachdruck 1966, 1985.
- *Aischylos: Interpretationen*, Berlin: Weidmann 1914. 2. Auflage Zürich/ Dublin 1967.
- *Reden aus der Kriegszeit*, Berlin: Weidmann 1915.
- *Die Ilias und Homer*, Berlin: Weidmann 1916. 3. Auflage 1966.
- *Der griechische und der platonische Staatsgedanke*, Berlin: Weidmann 1919. Mit drei anderen Schriften von Luciano Canfora ediert: *Tra scienza e politica: quattro saggi* (Antiqua 18)
- *Platon. Leben und Werke/ Beilagen und Textkritik*, Berlin: Weidmann 1919. 2 Bände. 2. Aufl. 1920, 3. Aufl. 1929, 4. Aufl. 1948, 5. Aufl. 1969, Nachdruck 1992.
- *Griechische Verskunst*, Berlin: Weidmann 1921. 3. Auflage 1975.
- *Geschichte der Philologie*, Berlin/ Leipzig: Teubner 1921. Leipzig 1959. Stuttgart/Leipzig 1998.
